

Dissertatio inauguralis medica de caussis anxietatis aegrotantium ejusque curatione ... / [Theodor Gerling].

Contributors

Gerling, Theodor.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hendelii, [1747]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ejw852g2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CAVSSIS
ANXIETATIS
AEGROTANTIVM
EIVSQUE CVRATIONE

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS
AD D. IX. SEPT. A. S. R. MDCCXLVII.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

THEODORVS GERLING,
IVENA POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MEDICINE

CAV 2212

ANXIETAS
AEGROTANTIVM
EIVSQUE CURATIO

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
P. R. A. F. S. I. D.

DOMINO

D. ANDREA ELIA BACHNERO

ACADEMIAE REGIAE A CONSULTIS INTIMIS
MEDICIS, RECTORIBUS, CENSURIS, ET ORDINARIIS
ACADEMIAE NATURAE, PHYSICAE, ET ASTRONOMICAE
ET COMITIBUS, CENSURIS, ET ORDINARIIS

PRO GRADU DOCTORIS

IN MEDICINA A HONORABILIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORIBUS LAUREIS, ET ACADEMICIS

AD D. IX. SEPT. A. S. R. MOSC. 1791.

PRIVILEGIUM

THEODOREUS GERLING

NAME MAGISTER
THEO. CHRISTIANUS THEODORUS

V I R O

ADMODVM REVERENDO ET DOCTISSIMO

GERHARDO GERLINGIO

ECCLESIARVM IN IVEN, IAPENZIN, DENNIN
ET NEVENDORFF

PASTORI VIGILANTISSIMO

ATQVE OPTIME MERITO,

PARENTI SVO INDVLGENTISSIMO

AETERNA PIETATE ET SANCTIMONIA AD EXTREMVM
VITAE HALITVM DEVENERANDO,

LEVIDENSE HOC LVCVRATIONVM ACADEMICARVM
QVALECVNQUE SPECIMEN,

AMORIS SVI

SVMMAEQVE OBSERVANTIAE

DOCUMENTVM,

SACRVN ESSE IVBET

AVCTOR.

VIR ADMODVM REVERENDE,
PARENS SVMMA ANIMI RELIGIONE COLENDE.

Nulla sane opportunior mihi contingere potuisset occasio, qua TIBI, PARENS OPTIME, pietatis meae sempiternae, qua TE, quoad vixero, sum prosecuturus, publicum quoddam statuere monumentum, meaeque mentis gratissimae pignus haud contemnendum exhibere possem, quam praesens ista, qua studiorum meorum specimen quoddam publicum eruditorum examini subiicere debeo. Mihi enim circumspicienti, cuinam hasce meas lucubrationes nuncuparem, nemo sane quam TV, cui maiori iure a me possent consecrari, occurrit. Neque hoc TIBI, PARENS SVMME VENERANDE, mirum videri potest, cum, cuinam plura, quam TIBI, si a DEO discessero, debeam, inueniam omnino neminem. Tot tantaque TVA in me exstant merita atque beneficia, vt meum ingenii flumen & dicendi copia illis, non dicam extollendis, sed tantummodo enarrandis non sufficiant. Qantae enim curae TIBI, CARISSIME AMANTISSIMEQVE PARENS, a paruulo omni fuerim tempore, quanto studio mentem meam vel optimis recte viuendi praeceptis omnibusque doctrinis, quibus aetas puerilis imbui debet, curaueris instru-

struendam, quanta omnis generis beneficia ex amoris TVI abundantia in me sint profecta, quam optime tandem salutis meae ac felicitati semper inuigilaris, ego optime habeo perspectum atque exploratum. Quinque TIBI, PATER MAXIMO PERE COLENDE, in academiis erant alendi filii, quorum me ultimum per quinque integros annos in hacce celeberrima Musarum sede sustentasti, omniaque, quae ad mea litterarum studia rite proseguenda necessaria erant, subsidia benigne atque lubenter mihi suppeditasti, quin longius, hocce si non suffecisset lustrum ad mea perficienda studia, mihi concessisses tempus hic commorandi & studia mea proseguendi. Quae omnia si tacitus mecum perpendo atque admirror, omnem sane humanitatis sensum exuisse iure meritoque viderer, nisi expectatissima hac occasione qualemcunque meam tot tantorumque beneficiorum, quae inusitatissima TVA liberalitas in me & contulit & indies propemodum auxit, gratam atque immortalem memoriam apud animum TVVM relictam velim testatissimam. Noli vero putare, me, dum quaecunque grati mei animi monumentum TVO erga me PATERNO AMORI summaeque munificentiae hisce litterulis statuero, eo hoc fecisse animo, ut meum TIBI plene soluerem debitum, atque ab eo me liberarem, sed potius TIBI certo persuadeas, me eo tantum animo hocce TIBI munusculum obtulisse, ne me

*tam innumerorum, quae in me clarissima maximaque
exstiterunt, beneficiorum plane immemorem, ingra-
tum, atque iis prorsus indignum iudicares. Susci-
pe igitur istud, ea, qua soles, humanitate, inunu-
sculum, nec eius tenuitatem specta, sed ardentissi-
mum eius, qui offert, desiderium, suam erga TE volun-
tatem testandi, & simul comprobandi, quam grato
animo tot benevolentiae atque amoris a TE in se pro-
fectas significationes recolat. Ego Numen oro atque
obtestor diuinum, vt TE, DVLCISSIME PARENS,
quam diutissime saluum atque incolumem omnique fe-
licitatis genere florentem, in familiae nostrae decus
atque laetitiam, conseruet, omniaque incepta atque
negotia TVA TIBI fauste, feliciter, prospereque
semper euenire iubeat, mihi vero PATERNUM
TVVM amorem perpetuo custodiat. Ita voueo*

VIR ADMODVM REVERENDE,

PARENS SVMMA ANIMI RELIGIONE COLENDE,

TVI NOMINIS

amantissimus & observantissimus filius

THEODORVS GERLING.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CAVSSIS
ANXIETATIS AEGROTANTIVM
EIVSQVE CVRATIONE.

PROOEMIUM.



Quum de aliquo Dissertationis,
quae mihi pro summis in Me-
dicina honoribus legitime im-
petrandis scribenda erat & de-
fendenda, argumento eligen-
do cogitarem, multa eaque varia vtique
occurrerunt themata, sat digna mihi visa,
quae peculiari pertractarentur tali scripto.
Ex his vero omnibus illud prae ceteris ele-
gi, quod huius Dissertationis fronti est in-
scriptum, tum quoniam materiae suauita-
te & vtilitate se commendat, tum praefer-
tim,

tim, quoniam tam ad theoriam, quam praxin spectat medicam, ita vt in eiusdem elaboratione clarius, quantum meae in his vtrisque valeant vires, ostendere possim, atque praeterea a nemine, quousque mihi saltem constat, in peculiari Dissertatione id iam fuit pertractatum. Si quod enim est phaenomenon, quod etiam nunc crassis occultatum est & circumfufum tenebris, ANXIETAS certe est, qua aegri, tum chronicis, tum acutis morbis laborantes, crudeliter torquentur, & simul exinde patet ratio, cur Medici de eiusdem indole & curatione adeo diuersas foueant sententias. Plerique audito anxietatis nomine statim de remedio illam debellandi cogitant, antequam eius causfam in corpore praesentem inuestigarunt & detexerunt; quae curandi ratio, quam absfona fit & quantum in primis rationalis medendi methodi legibus repugnet, cum anxietas a multis admodumque variis proficisci possit causfis, & diuersam pro earum varietate postulet medelam, adeo clarum est & per-

perspicuum, vt nulla egeat probatione. Quemadmodum vero dilucida atque perspicua symptomatum, in aegris obuiorum atque explicatu difficilium enodatio, maximum Medicinae, practicae potissimum, affert lumen atque emolumentum; ita ex clara & distincta commemorabilis istius symptomatis, multis iisque tum chronicis, tum acutis morbis familiaris, *anxietatis* scilicet, explicatione, non minor in praxin medicam redundabit utilitas, vnde hoc symptoma tanto libentius in me suscepi explanandum, quo crebrius in aegris obseruatur. Periculum ergo mearum virium, quid ferre valerent quidque recusarent, facturus, in hacce Dissertatione inaugurali in *anxietatis morbosae causas, effectus & curationem* inquirere mecum constitui. Deus itaque T. O. M. fortunet hunc meum laborem, vt in sui Ipsius gloriam, salutaris scientiae incrementum & aegrotantium salutem cedat!



§. I.

*Ad quaenam
in anxietate
fit respicien-
dum.*



Qui *anxietatis* naturam atque indolem altius mente secum perpendit, sine ullo perspiciet negotio, in eadem explicanda ad duo esse respiciendum, nimirum primo ad mutationes, quae in anima contingunt, & deinde ad illas, quae in corpore sunt praesentes. In omnibus enim, quotquot sunt, qui anxietate affliguntur, non corpus solum, sed anima etiam simul afficitur. Attendentes igitur ad id, quod anxietate praesente in anima occurrit, teste experientia, optima omnium rerum magistra, deprehendemus, ingratham semper tunc in mente adesse sensationem. Cum vero haec a certis in corpore humano praesentibus mutationibus, tanquam suis causis, oriatur, has ut sollicite indagemus, pertractationis & nostri instituti ratio requirit, praesertim cum his sublati illa quoque cessare debeat.

§. II.

§. II.

Si omnes istos, qui de anxietate conquerun- Definitio an-
tur, attentiori contemplamur mente, & simul in xietatis.
causam, quae in corpore latens anxietatem produ-
cit, inquirimus, experientia nos conuincet, in iis
omnibus motum sanguinis progressuum vel quo-
ad vniuersum corpus, vel quoad partem ita esse
impeditum siue retardatum, vt cordis motui creet
resistentiam, atque hinc anxietatem producat. Quae
igitur cum ita sint, ANXIETAS definiri potest,
quod sit *ingrata sensatio, quae ex motu sanguinis
progressiuo ita impedito, siue retardato, vt cordis mo-
tui faciat resistentiam, oritur.* Cum vero sanguinis
circulus vel in toto corpore, vel in parte eius retar-
dari & difficilior reddi possit, patet hinc, anxietatem
produci a motu sanguinis progressiuo vel in toto
corpore, vel in parte eius impedito.

§. III.

Ex experientia constat quotidiana, homines, Moribundi
qui non subitanea abripiuntur morte, sed cum mor- & polypo la-
bo antea conflictati eiusdem vi pereunt, in mortis borantes an-
articulo constitutos molestam illam percipere sensa- xietates sen-
tionem, quae appellatur *anxietas*, & vitae cum mor- tiunt.
te luctam, vti aiunt, nihil aliud, quam magnam
esse anxietatem, qua affliguntur moribundi. Por-
ro ex certissimis notum est Medicorum obseruatio-
nibus, miseros istos, quibus in arteria vel pulmo-
nali, vel magna, quae *aorta* alias dicitur, polypus
haeret, simulac corporis motu paulo vehementius
sefe exercent, diras pati anxietates, cessantes, vel

saltem remittentes, si quieti iterum se tradunt.

§. IV.

*Anxietas ori-
tur ab impe-
dito sangui-
nis ex cordis
ventriculis
egressu.*

Mortem a progressiuo sanguinis & humorum motu sublato oriri, huncque vnice a sanguinis ex cordis ventriculis expulsionem dependere, veritas est, de qua dubitare omnino nefas esset. Qua de re, si cui morbi vi successiue est pereundum, cordis vis mouens pedetentim ita debet imminui, vt sanguinem ex ventriculis suis propellere nequeat. Cum vero aegri, quibus morbi vehementia est succumbendum, in mortis articulo versantes immanem sentiant anxietatem §. III, illa necessario ab impedito sanguinis ex cordis ventriculis egressu oriri debet. Neque de huius asserti veritate dubitari potest, cum, si in causam anxietatis inquirimus, qua polypo, in arteria vel aorta vel pulmonali haerente, laborantes afficiuntur, dum paululum fortius se mouent §. III, nulla alia assignari possit, quam quod cordis ventriculi ob ista obstacula, in cordis vasis modo dictis haerentia, sanguinem suum debito modo euacuare & per arterias suas propellere nequeant. Simulac enim eiusmodi homines in quiete se tenent, satis bene se habent, neque id est mirandum, quia tunc sanguis haecce obstacula praeterlabi & per arterias paullo liberius expelli potest.

§. V.

*Anxietas na-
scitur, si vel
ventriculus
cordis dex-*

Cor habet duos ventriculos, dextrum scilicet & sinistrum. Ex illo emergit arteria pulmonalis, quae ad pulmones abiens in innumeros & infinite paruos diuiditur ramulos, & sanguinem ad pulmo-
nes

nes defert; ex hoc vero arteria oritur magna, siue *ter, vel fini-*
aorta, quae sanguinem ad omnes omnino partes, *ster sangui-*
pulmonibus exceptis, propellit. Nunc oritur an- *nem suum*
xietas, si cordis ventriculi sanguinem suum debito *decenter eva-*
modo expellere nequeunt §. IV. Qua de re anxie- *cuare nequit.*
tas producit, si vel ventriculus cordis dexter, vel
sinister sanguinem suum legitime per systolen pro-
pellere nequit.

§. VI.

Cum anxietatis sensus percipiatur, si vel dex- *Quaenam*
ter cordis ventriculus, vel sinister sanguinem suum *causae an-*
eo, quo fieri deberet, modo expellere nequit §. V, *xietatem*
sequitur, ut omnes istae causae, quae impediunt vel *producant,*
impedire possunt, quo minus vel dexter, vel fini- *vel produce-*
ster cordis ventriculus sanguinem suum legitime ex- *re possint.*
pellere queat, anxietatem producant, vel produ-
cere possint.

§. VII.

Si sanguis per arteriae pulmonalis ramos, vel *Anxietas ori-*
extremities per pulmones ubique dispersas, progre- *tur, si sangui-*
di nequit, non potest non dextro cordis ventriculo *nis per arte-*
nasci obstaculum, quod impedit, quo minus debi- *riae pulmo-*
to modo sanguinem ex cavitate sua expellere pos- *nalis ramos*
sit. Cum vero demonstratum dederim, ab eius- *progressus*
modi causa produci anxietatem §. VI, prona exin- *impeditur.*
de fluit consequentia, anxietatem oriri, si sanguinis
per arteriae pulmonalis ramos vel fines progressus
impeditur, omnesque istas causas, quae eiusmodi
producunt effectum, etiam simul gignere anxietatem.

§. VIII.

*Causae, quae
anxietatem
ita produ-
cunt, ut debi-
tam ventri-
culi cordis
dextri eua-
cuationem
impediant,
haerent vel
in pulmonibus,
vel extra
illos.*

His ita praemissis, nihil iam negotii erit, ex modo dictis illas detegere atque indicare causas, quae anxietatem vel producant, vel producere possunt, cum omnes, quotquot sunt & esse possunt, in eo conuenire atque id efficere debeant, ut plenariam ac debitam dextri vel sinistri cordis ventriculi euacuationem impediant §. VI. Infinitus quidem harum causarum datur numerus, sed, ne earum multitudo & varietas sciendi cupido in inuestigando molestiam & difficultatem creet, monendum esse duco, eas, quatenus anxietatem ita producant, ut sanguinis ex dextro cordis ventriculo egressum impediant, commode sic dispesci posse, ut vel *in pulmonibus*, vel *extra illos* haereant. Ab illis considerationis nostrae faciemus initium & deinde ad has progrediemur. Antequam vero ad illarum causarum considerationem me accingo, notari velim, me non omnes omnino promiscue, sed frequentiores tantum & praecipuas, esse pertractaturum.

§. IX.

*Causae anxietatis in
pulmonibus
haerentes
subdiuidun-
tur.*

Omnes, quae in pulmonibus haerentes anxietatem producant causae, iterum sic diuidi possunt, ut vel haereant *in ramis ipsis arteriae pulmonalis*, vel *extra illos*. Illas primo nostro subiiciemus examini, & denuo melioris perspicuitatis causa ita dispescimus, ut vel in ipsis ramorum arteriae pulmonalis parietibus, vel in sanguine per hos fluente sedeant.

§. X.

Spasmus ra-

Ex causis, quae in ipsis ramorum arteriae pulmona-

monalis parietibus haerentes anxietatem producant, *morum arte-*
eminet praesertim *spasmodica* eorundem *contractio*, *riae pulmo-*
quae, si tanta est, ut liberum sanguini per eos fluxu- *nalis efficit*
ro praecludat transitum, non potest non anxietatem *anxietatem.*
producere, cum omne id illam excitet, quod sangui-
nis per arteriae pulmonalis ramos progressum im-
pedit §. VII. Arteriae enim non vi sua solum phy-
sica, quae ab earum elasticitate dependet, sed vi et-
iam vitali, quae fluidi neruei in ipsas influxum pro
sua agnoscit causa, se contrahere & caua sua angu-
stare possunt, uti ex eo patet, quando homo sanus
metu percellitur: Hic etenim pallet, eiusque partes
exteriores contrahuntur & suarum fibrarum con-
strictione sanguinem rubrum repellunt, unde etiam
oritur pallor.

§. XI.

Inter causas, quae in pulmonibus & praesertim *Sanguinis*
in sanguine eiusdem haerentes anxietatem efficiunt, *spissitudo*
prae ceteris considerationem meretur tanta sangui- *tanta, ut per*
nis spissitudo, ut per arteriae pulmonalis fines transi- *fines arteriae*
re nequeat. Cum enim anxietas oriatur, si sanguis *pulmonalis*
in pulmonibus per arteriae pulmonalis fines permea- *transire ne-*
re nequit §. VII, idem euenire debet, si sanguis tan- *queat, efficit*
tam acquisiuit spissitudinem, qua ad transeundum *anxietatem.*
per arteriae pulmonalis extremitates ineptus reddi-
tur. Haec vero sanguinis spissitudo a duplici pro-
ficisci potest causa, vel a nimio sanguinis per vasa
motu, quo liquida ex corpore expelluntur, reliquis-
que sanguis inspissatur, vel a nimis tardo sanguinis
per vasa progressu, quippe qui efficit, ut sanguis,
natu-

naturali sua indole ad cohaesionem proclivis, eo facilius concreascit. Illa sanguinis spissitudo, quae a priori oritur causa, a Medicis nominatur *inflammatoria*, quoniam ob vehementem, qui cum ea coniunctus est, motum, ad inflammationem producendam est aptissima, & ex calore maiori, sanguinisque velocitate cognoscitur; haec vero, utpote quae tardum sanguinis secum fert progressum, appellari solet *mucosa, frigida, iners, viscida*, & cognoscitur ex circulationis tarditate, frigore, colore cutis albo, habitu corporis tumido, & leucophlegmatico, minusque ad inflammationem excitandam, ob motum sanguinis admodum lentum, est apta.

§. XII.

Mucus in vesiculis pulmonum nimia copia collectus anxietatem producit.

Ad illas causas, quae in ipsis pulmonibus herentes anxietatem producant, pertinet quoque *mucus maiori copia in pulmonum vesiculis collectus*. Hic etenim, fibrarum & vasorum pulmonalium tonum & robur labefactando, liberum sanguinis progressum, ex dextro cordis ventriculo per pulmones ad sinistrum illius ventriculum, retardat ac impedit, unde non potest non anxietas produci §. VII. Atque id experientia confirmat, utpote quae docet, homines catarrhosis affectibus affictos & catarrhis suffocativis humidis obnoxios, magnam circa cor & pulmones praesertim sentire anxietatem, adeoque hoc phaenomenon ex modo dictis sine ullo negotio explicari potest.

§. XIII.

Vlcus, obstru-

Si vlcere in pulmonibus praesente, quod in phthisi

phthisi contingit, materia purulenta maiori, quam ^{elio, inflam-} par est, quantitate in pulmonum vesiculis accumu ^{matio, scir-} lata haeret, sanguinis per pulmones transitus non ^{rhus, idque} potest non retardari, atque idem euenire debet, si ^{genus alia} pulmones obstructionibus, inflammationibus, scir- ^{mala produ-} rhis, vomicis & id genus aliis malis sunt obsessi, vnde ^{cunt anxie-} patet ratio, cur aegri his malis obnoxii anxietate fa- ^{tatem.} tis plerumque vehementi simul laborent.

§. XIV.

Causae, quae anxietatem producant, haerent vel ^{Diuisio cau-} in pulmonibus ipsis, vel extra illos §. VIII. Priores ^{sarum an-} iam iam considerauius, merito nunc ad postero- ^{xietatis ex-} rum considerationem accedimus. Hae iterum sic ^{tra pulmones} diuidi possunt, vt vel haereant *in cauitate pectoris,* ^{sitarum.} vel *extra illam* & in cauitate abdominis. Ad illas causas, quae extra pulmones quidem, sed adhuc in pectoris cauitate haerentes anxietatem efficiunt, pertinent aqua, pus, sanguis, extra vasa constituta & maiori copia collecta, neque minus praeternaturalis partium externarum, thoracis cauitatem constituentium, dispositio, qua illae partes, quae extrorsum vergere deberent, introrsum magis inclinant.

§. XV.

Antequam ad illas me accingo causas, quae ex- ^{Omnes istae} tra pulmones & in abdominis cauitate haerentes an- ^{causae, quae} xietatem procreant, praemonendum & demonst- ^{respiratio-} dum esse arbitror, quod omnes illae causas, quae ^{nem impedi-} respirationem impediunt, anxietatem producant. ^{unt, anxietatem produ-} Quodsi enim sanguinis circulus libere & legitime ^{cunt.} per pulmones succedere debet, requiritur, vt respi- ^C ratio

ratio modo decenti ac legitimo peragatur, nec quomodocunque laedatur, nec impediatur, id quod ex physiologicis satis superque apparet principiis. Quae de re omnes istae causae, quae liberum respirationis successum impediunt, eamque sensibilibus laedunt, non possunt non anxietatem producere.

§. XVI.

*Ventriculus
flatibus vel
cibis nimis
expansus an-
xietatem
producit.*

His ita praemissis, ut illas causas, quae extra thoracis cauitatem & in abdominis cavo posita anxietatem producant, nostro subiiciamus examini, ordo exigit. Inter has *flatus & cibi maiori*, quam par est, *copia ingurgitati* & ventriculus & intestina ita distendentes, ut respiratio libere peragi nequeat, praecipuam satisque frequentem anxietatis praebent causam §. XV. Quod vero ab his modo memoratis causis respiratio difficilis reddi, impediri, atque exinde anxietas produci possit, nemini partium corporis humani structurae & physiologiae tantum gnaro obscurum & dubium videri potest, dummodo consideret, liberum diaphragmatis descensum, qui ad respirationem legitime peragendam necessario requiritur, a ventriculo, a flatibus vel ciborum maiori copia vehementer expanso, impediri, atque hac ratione debitum respirationis successum sufflaminari. Ex his potest simul multorum phaenomenorum, satis frequenter occurrentium, ratio facillime reddi, cur scilicet homo a largiori pastu anxietatem sentiat, & cur eidem hypochondriaci prae ceteris sint obnoxii.

§. XVII.

Flatus vel so-

Flatus, quos anxietatem producere posse, demon-

monstrauimus §. XVI, duplici modo hunc effectum *li vel cum*
producunt, vel sola violenta ventriculi atque intesti- *spasmo con-*
norum distensione, vel eadem vehementi harum par- *iuncti anxie-*
tium expansione, sed simul cum spasmodica quadam *tatem pro-*
earundem constrictione coniuncta. Posterius *ducunt.*
praesertim contingit in cardialgia, quae insigni circa
ventriculi regionem dolore atque immani anxietate
ordinarie stipata incedit, vbi aegri hoc malo afflicti
flatum nec per superiora, nec per inferiora emittere
possunt. Quodsi enim ventriculus a flatibus ma-
ximopere est extensus, eiusque orificia spasmo sunt
constricta, flatus nullibi cedere possunt, & calore in-
terno magis magisque expansi ventriculum admo-
dum violenter distendunt, qui diaphragmatis de-
scensum & liberam pulmonum expansionem impe-
diens, non potest non anxietatem producere §. XV.
Simulac vero spasmodica orificiorum ventriculi con-
strictio remiserit & ructus aliquot fuerint explosi,
ventriculi parietes, antea vehementer distenti, non
possunt non collabi & leuamen anxietatis afferre.

§. XVIII.

Illa anxietas, quam producit vehemens ventri- *Anxietas a*
culi expansio, a solis flatibus intus contentis produ- *solis flatibus*
cta, non adeo vehemens est, quam ista, quae ab infi- *non adeo ve-*
gni ventriculi per flatus distensione, cum spasmodi- *bemens est,*
ca eiusdem orificiorum constrictione coniuncta, ori- *quam illa,*
tur, quoniam in hac flatus diaphragmati, descende- *quae a flatibus & spas-*
re conanti, plane non cedunt, maximeque resistunt, *mis simul*
quo non potest non anxietas persistere §. XIV. XVI; *oritur,*
in illa vero magis cedunt & se facilius propelli pati-
untur,

untur, vnde anxietatis sequitur leuamen. Corripit haec anxietatis species illos prae ceteris homines, qui flatibus vexantur & de doloribus molestis, sub costis spuriiis haerentibus, conqueruntur, atque hoc malo afflicti anxietatis sentiunt lenimen, si flatus vel sursum, vel deorsum exeunt.

§. XIX.

*Impeditus
sanguinis
per infimi
ventris vi-
scera tran-
situs anxie-
tatem pro-
ducere potest.*

Pervenimus nunc ad eas considerandas causas, quae ita, vt plenariam sinistri cordis ventriculi euacuationem impedian, anxietatem producant, atque inter has praecipua & frequentior est, *impeditus sanguinis per infimi ventris viscera, & hepar praesertim, transitus.* Omnis enim, vti ex principiis constat physiologicis, sanguis venosus ventriculi, intestinorum, mesenterii, pancreatis, lienis atque omenti, illo excepto, qui a nutritione horum viscerum peracta residuus, peculiaribus venis in venam cauam deferitur, colligitur in venam portae, quae hepar ingressa, mox in ramos abiens & postea in minores innumerabiles diuisa, per omnem hepatis substantiam distribuitur, atque bilis secretionem peracta residuum sanguinem, venulis receptum, in venam cauam infundit. Hic sanguinis per hepar circulus vi structurae iam est difficilis, vnde facile in iis hominibus, qui salubri corporis motu carent, impedimenta libero humorum transitui nascuntur. Quodsi ergo sanguinis per venam portae transitus, a quacunque id fiat causa, impeditur, venosum viscerum chylopoieticorum systema in illam se euacuare non potest, venae manent sanguine plenae & distenduntur, sanguis vero arte-

arteriosus, per coeliacam & arterias mesentericas al-
latus, qui in has venas exonerari debet, stagnat pa-
riter, sanguini ex sinistro cordis ventriculo per aor-
tam pellendo in has arterias maior fit resistentia, &
sufficiens in aortae truncum expelli nequit, unde
oritur anxietas §. VI, quae tamdiu durat, donec alii
aortae rami dilatati recipere possunt illum sangui-
nem, qui alias per coeliacam & mesentericas arterias
transire solebat.

§. XX.

Patet ex §. XIX. altera, praeter eam, quam iam *Altera addi-*
§. XVI. adduximus, ratio, cur isti, qui flatibus valde *tur ratio, cur*
& frequenter vexantur, & abdomen ab iis distentum *flatus anxie-*
gerunt, anxietate affligantur. Cum enim, intestinis *tatem pro-*
a flatibus vehementer expansis, sanguinis per infimi *ducant.*
ventris viscera circulus impediatur, fieri non pot-
est, quin exinde oriatur anxietas §. XVIII. Neque
minus eiusmodi homines, qui sanguinem in vasis
alunt adeo spissum, ut minus libere atque expedite
per vasa in abdomine sita permeare possit, anxietate
affici, ex eodem §. satis superque apparet, nec refert,
uti ibidem iam monui, quatenus sit causa, quae li-
berum sanguinis per abdominis viscera circuitum
impediendo anxietatem producit, an sint flatus, an
sanguinis spissitudo, sed scire sufficit, omnem istam
causam, expeditum sanguinis per infimi ventris vi-
scera circulum retardantem ac sufflaminantem, pro-
ducere anxietatem, quaecunque etiam sit & quocun-
que id efficiat modo.

§. XXI.

*Anxietas ori-
tur a transitu
sanguinis per
vasa, in su-
perficie cor-
poris sita, im-
pedito.*

Eodem, quo §. XIX. usus fui, modo facile demonstrari potest, quod anxietas oriatur, si sanguis per vasa extrema, in corporis superficie sita, libere atque expedite transire nequit. Nascitur enim hac ratione sinistro cordis ventriculo iusto maior resistentia, quae eius plenariam impedit euacuationem, adeoque anxietatem procreat §. V. Causae vero, quae sanguinis per extrema vasa circuitum sufflaminare possunt, sunt infinitae, & haerent vel in sanguine ipso, vel in vasis; eas vero omnes, quotcunque sint & quocunque agant modo, in eo tamen conuenire, vt sanguinis per extrema in corporis superficie sita vasa transitum impedian, si anxietatem producere debent, clarum est atque perspicuum. Ex his ratio simul reddi potest, cur tempore frigoris febrilis tanta adsit anxietas: Incipit enim tunc contractis vasorum finibus, vti docet pallor in frigore febrili praesens, & debilitatis cordis viribus maior nascitur resistentia sanguini ex corde pellendo.

§. XXII.

*De anxietate
circa vitalia
viscera eius-
que signis
diagnosticiis.*

Causis, quae anxietatem producant, ita pertractatis, expedit nunc ista sciscitari signa, ex quibus variae istae anxietatis species cognosci possunt, atque id eo magis est necessarium, quo certius sine iis nihil certe in earundem curatione determinari potest. Dedimus demonstratum, anxietatem oriri vel ab impedita dextri, vel sinistri cordis ventriculi euacuatione, §. V. eamque posteriorem iterum prouenire a transi-

tu sanguinis vel per infima abdominis viscera, vel per extrema in corporis superficie sita vasa retento §. XVIII. & XXI. Illam anxietatis speciem, quae minus debitam dextri cordis ventriculi euacuationem pro causa agnoscit, nominabo *anxietatem circa vitalia viscera sedentem*; eam vero, quae ab impedito sanguinis per infima abdominis viscera transitu oritur, *hypochondriacam*. Quaestio ergo mouetur, quae-
nam signa anxietatis circa vitalia viscera sedentis praesentiam doceant? Quodsi ergo causa anxietatis proprie haereat circa vitalia viscera, cognoscitur hoc malum adesse, ex laesione actionum vitalium, pulsus nempe & respirationis. Cum enim dexter cordis ventriculus legitime sanguinem expellere nequeat, arteriae sufficienter dilatari non possunt, adeoque pulsus debilis erit & vacillabit; atque eandem ob causam breui extremorum frigus aderit, quia sanguis ad corporis extrema vsque non poterit propelli. Cum autem pulmonis per aërem inspiratum dilata-
tio requiratur, vt sanguis ventriculo dextro expulsus libere per arteriae pulmonalis angustias transire possit, ratio patet, quare aegri in hac anxietatis specie omni respirationis molimine sanguini in arteria pulmonali haerenti viam facere conentur, hinc illa suspiria & breuis & anhelosa respiratio, quam erecto corporis situ leuare conantur. Difficilis igitur respiratio, pulsus debilis & vacillans, atque extremorum frigus docent, anxietatis causam circa vitalia haerere viscera.

§. XXIII.

Anxietas circa vitalia viscera producere potest obstructions, & polyposas concretiones.

Cum sanguis in anxietate circa viscera vitalia haerente, ex dextro cordis ventriculo sufficienter expelli & per pulmones transire nequeat §. V. VI. & XXI. necessario hinc in dextro cordis ventriculo eiusque auricula & sinu venae cauae accumulabitur, his in locis stagnabit, & cum ex sua natura in sanissimo etiam homine in concretionem adeo sit pronus, breui concrefcet, liquidissima pars a crassiori secedens per arterias adhuc transibit, residuum vero eo magis inspissabitur, polyposas formabit concretiones, saepe postea, si ex hoc discrimine euaserint aegri, tota vita non resolubiles. Praeterea dum sanguis hac ratione spissus atque immeabilis redditur, per arteriarum in pulmonibus sitarum angustias transire nequit, sed stagnans obstructions, & accedente a tergo maiori impetu, inflammationes, hic subito in gangraenam transeuntes & certo citoque lethales, producet, uti in violentissima peripneumonia tristissimis toties constitit exemplis. Simul tunc adest intolerabilis angustia, quae efficit, ut miseri continuo corporis situm mutant & quaquaversum in lecto se iactitent, donec, infarcto penitus pulmone, suffocati pereant.

§. XXIV.

Quaenam signa anxietatis hypochondriacae praesentiam indicent.

Anxietas hypochondriaca non tantum quidem periculi & molestiae secum ducit, quantum prior, nihilominus tamen inde multa mala sunt metuenda, ac pariter molestissimo intolerabilis angustiae sensu aegros

aegros afficit. Distinguitur autem a priori, quod respiratio non adeo impedita sit & arteriarum pulsus satis sint expediti. Quamvis autem in hepate haereat obstaculum, sanguinis per venam portae transitum impediens, praecipuus tamen aegritudinis sensus circa ventriculum & inprimis circa eiusdem orificium superius, quod *cardia* appellari solet, percipitur, quem locum etiam semper aegri digito indicant. Neque id admodum est mirandum: Licet enim in abdominis visceribus, dum sanguis per arterias alatus vrget, nec venae interim se euacuare possunt, magna fieri debeat distensio, nihilominus tamen in iis, quoniam minus acute sentiunt, anxietatis sensus ab hac causa parum vel plane non percipi potest. Cum vero, teste anatome, multi paris vagi rami circa superius ventriculi orificium excurrant, qui deinde per abdominalia distribuuntur viscera, non difficile est perspectu, ab illis dependere anxietatis circa hunc locum perceptionem, quoniam fieri nequit, quin sanguis, impedito eius per venam portae traiectu, in ventriculi arteriis accumuletur eiusque nervos vehementer distendat.

§. XXV.

Si iam consideratur, anxietate hypochondriaca praesente sanguinis impeditum esse per hepar circuitum §. XII, facile patet, quot & quanta hinc metuenda sint mala. Sanguis enim in toto venae portae systemate hepatis obstructions atque infar-

D

Etus

*Quaenam
mala profici-
sci possint ab
anxietate
hypochon-
driaca.*

Etus, extrauafationes & corruptiones producere potest, quin vasa, bilem iam secretam continentia, a vicinis infarctis & tumentibus comprimuntur, saepe etiam bilis vtriusque, cysticae nempe & hepaticae, ductus excretorii obstruuntur, vnde pessima putredo est exspectanda, quoniam bilis stagnatione citissime corrumpitur, vel nimis accumulata effunditur & gangraenam producit.

§. XXVI.

*Spasmodica
anxietas ab
inflammato-
ria probe est
distinguenda
& quomodo.*

Probe distinguenda est anxietas, quae a spasmo extremitatum arteriosarum oritur, ab illa, quae ab inflammatoria sanguinis spissitudine ortum trahit. Haec etenim semper febrem acutam habet comitem, atque ex hac cognoscitur; illam vero adesse demonstrant haec signa, quod nulla febris eam praecesserit, aegri temperies talis sit, vt solida tenerrima & fluida minus firma sint, animi motus praegressi fuerint & subitae validaeque liquidorum euacuationes, siue spontaneae, siue ab assumptis excitatae. Corripit haec anxietatis species illos praesertim, qui generis neruosi debilitate & sensibilitate laborant, ita, vt vel a leuissimo animi affectu summa anxietate, spasmis, doloribus mirabilibus, quid? quod conuulsionibus corripiantur, quales sunt homines malo hypochondriaco vel hysterico laborantes.

§. XXVII.

Anxietas

Spasmodica anxietas, de qua praecedenti §. locutus

cutus fui, minus periculosa est, quam ista, quae ab inflammatoria sanguinis spissitudine oritur. Quodsi enim illa adeo increuit, ut in animi deliquium incidunt ea afflicti, spasmus soluitur, & quia tunc cor sanguinem versus encephalum debita vi propellere nequit & spirituum in nervos influxus intercipitur, eorum quoque inordinatus motus in partes cessat & anxietas leuatur. Docet hoc experientia quotidiana in foeminis hystericis, dum gulae musculi spasmo constrikti interceptum aërem in oesophagi tubo retinent, qui calore loci expansus, tumorem magnum facit, vicina comprimentem, cum sensu instantis quasi suffocationis; simulac vero hae mulieres animo linqui incipiunt, spasmus soluitur, & valido ructu exploditur coercitus aër, totumque malum cessat. Idem patet in laborantibus asthmate spasmodico: hi etenim, dum in ipso quasi mortis limine versari videntur, spasmo soluto reuiuiscunt, & centenos saepe eiusmodi patiuntur paroxysmos, semper inde emergentes, nisi toties repetito malo polyposae concretiones, vel morbosae vasorum circa cor, vel cordis ipsius dilatationes factae fuerint, vnde subitanea saepe mors sequitur. In anxietate vero, quae ab inflammatoria sanguinis spissitudine oritur, febris acutae praesentis impetus sanguinem in arteriarum extremitates fortius adigit atque impingit, omnique momento mali causa augetur & breui mors sequitur, nisi subito solui possit obstruens illud inflammatorium, quod vero rarissime, vel plane non fit.

*spasmodica
minus periculosa est,
quam ista,
quae ab inflammatoria
sanguinis
densitate
provenit.*

§. XXVIII.

Cura anxietatis variat pro causarum varietate.

Satis superque in antecedentibus dedimus demonstratum, anxietatem a multis iisque admodum variis proficisci causis. Quodsi ergo illa est tollenda, eiusdem cura pro causarum, quae eam produxerunt, diuersitate erit instituenda, cum effectus non nisi causa sublata possit tolli, & vnus idemque morbus vel symptoma diuersam requirat medelam, prout a varia causa ortum duxit. Neruina & antispasmodica, vt liquor cornu cerui succinatus, essentia succini, castorei, & id genus alia, in anxietate spasmodica, qua foeminae hystericae corripri solent, maximopere & illico profunt; verum eadem data in anxietate, quae ab inflammatoria sanguinis spissitudine oritur, febremque acutam secum fert, vera venena sunt malumque augent immaniter. Contra vero valida & larga sanguinis missio in posteriori anxietate summum est remedium; hystericis autem mulieribus, nisi simul plethoricae fuerint, vti aliae quaeuis validae euacuationes, summopere nocet. Patet ergo, prius huius mali causam esse indagandam, antequam cum fructu medela adhiberi possit.

§. XXIX.

Si anxietas oritur a spasmō arteriarum, illius causa est re-

Anxietatem a spasmodica vasorum arteriosorum, vel in pulmonibus, vel in corporis superficie fitorum, contractione oriri posse, euictum fuit §. X. & XXI. Hoc igitur posito, in curatione eo potissimum

mum est respiciendum, ut causa constrictionis istius *mouenda, si*
spasmodicae indagando inueniatur & tollatur. Sed *curatio eius-*
hic quam maxime est notandum, aliquando causam *dem est insti-*
anxietatis spasmodicae esse incorpoream & a solo *tuenda.*
dependere animi affectu, uti videmus in hystericis
aliisque ad animi affectus admodum procliuibus sub-
iectis, quae vel leuissimo animi affectu abrepti in ma-
gnam incidunt anxietatem. Quandoque applicatur
aliquid nervis, per varia corporis loca dispersis,
quod eos irritat & totum saepe genus nervosum in
consensum trahit & intolerabilem aliquando anxie-
tatem producit. Sic moschi, ambrae gryseae aut
zibethi fragrantia, solos olfactus nervos afficiens,
hystericos paroxysmos saepius excitat; quin obser-
vationes docent medicae, nervos in locis etiam remo-
tissimis corporis positos, dum irritantur, totum sen-
sorium commune & omnes inde dependentes fun-
ctiones turbare posse. Omnium tamen frequentis-
sime miri isti observantur effectus, dum nervi per
ventriculum & intestina dispersi ab acribus sordi-
bus hic collectis, vel aliis corporibus irritantibus, af-
ficiuntur, & saepissime talis anxietas spasmodica ori-
tur in febribus a bile acriori, vel ante febrim prae-
existente, vel sub febre genita, quae vero leni vom-
itorio dato feliciter tolli potest.

§. XXX.

Quod si ergo spasmodica anxietas absque laesio- *Si acré pro-*
ne respirationis, vel signis inflammatoriae sanguinis *duxerit an-*
densi *xietatem*

*Spasmodi-
cam, hoc est
demulcen-
dum & ex-
pellendum.*

densitatis adest, sedulo est inquirendum, an aliquid acre, in ventriculo vel intestinis haerens, anxietatis sit causa, atque hoc praesente cura ita est instituen- da, ut acre istud demulceatur & leniatur, atque e corpore expellatur. Qua de re omnia ista remedia quae acrimoniam demulcent, vel e corpore expel- lunt, in hac anxietatis specie profunt & idcirco sunt adhibenda.

§. XXXI.

*Quaenam
remedia con-
ducant in
anxietate
spasmodica.*

Diluentia, oleosa, absorbentia, mucilaginosa, gelatinosa, qualia sunt decocta ex rasura cornu cer- ui, auena excorticata, hordeo, oryza, ex herbis & radicibus mucilaginem fundentibus, emulsio- nes, axungiae animalium, terrae pingues, olea expressa, & id genus alia, acrimoniam demulcendi & leniendi virtute gaudent. Cum ergo omnia ista remedia in anxietate spasmodica, quae ab acrimo- nia producitur, conducant §. XXX. hinc in eadem curanda pariter quoque illa secure adhiberi pos- sunt.

§. XXXII.

*Purgantia
& vomitoria
profunt in
anxietate
spasmodica
ab acrimo-*

Vomitoria expellunt facilius acrimoniam, quae in ventriculo haeret, quam purgantia, utpote quae illam, quando in intestinis commoratur, facilius euacuant. Hanc igitur ob rationem, si anxietas provenit ab acrimonia in ventriculo haerente, vo- mito-

mitorio commodissime tollitur; si vero acre istud *nia proueni-*
in intestinis haereat, purgante medicamento per *ente.*
aluum educitur. Si in infantibus anxietas a mole
lactis coagulati in ventriculo haerente obseruatur,
quam irrequieta corporis agitatione testantur mi-
felli, illico cessat, simulac haec saburra vel vomito-
rio, vel purgante expellitur.

§. XXXIII.

Saepius vero euenit, vt acre, quod spasmo- *Acre spasmo-*
dicam producit anxietatem, per has vias, superio- *dicam indu-*
rem scilicet atque inferiorem, exire renuat, sed *cens anxie-*
longe subtilioris sit indolis, quo in casu illud per *tatem sudore*
sudores e corpore est expellendum. Contingit id *est interdum*
praesertim in febribus acutis malignis, a contagio *eliminan-*
ortum ducentibus, quae immani stipantur anxie- *dum.*
tate, non prius cessante, quam postquam venenum
contagiosum sudore fuerit eliminatum.

§. XXXIV.

Ab animi affectibus, summis praesertim, ma- *Anxietas*
gnam nasci anxietatem, veritas est, quam quoti- *spasmodica*
diana docet experientia §. XXIX. Exinde igitur *ab animi af-*
fi prouenit anxietas modo dicta, ita instituenda est *fectu, tollitur*
eiusdem curatio, vt praesens iste animi affectus, a *hoc sublato,*
quo hoc malum suam trahit originem, sopiatur,
id quod fit, contrarium affectum excitando, vel ani-
mum aliis obiectis distrahendo, aut recreando.

§. XXXV.

§. XXXV.

*Relaxantia
conducunt in
anxietate
spasmodica.*

Relaxantia praeterea in anxietate spasmodica possunt curandi fine adhiberi. Cum enim spasmodica fibrarum & vasorum in hac anxietatis specie adsit contractio, quae liberum humorum per vasa transitum impedit, relaxantia vero illam immi-
nuant, immo plane tollant, talia summo cum fru-
ctu hic adhiberi posse satis superque apparet.

§. XXXVI.

*Narcotica
& anodyna
in anxietate
spasmodica
conducunt.*

In omnibus istis casibus, vbi spasmodicae ad-
sunt contractiones, summum remedium dant ano-
dyna & narcotica, prudenter adhibita, quoniam
spasmi ab inordinato fluidi neruei in fibras muscu-
lares influxu proueniunt, qui ab anodynis & nar-
coticis compescitur. Cum vero anxietas spasmo-
dica contractionem vasorum arteriosorum spasmo-
dicam pro sua agnoscat causa §. X. & XXI. ideo
anodyna & narcotica, dummodo debita cum cau-
tione vsurpentur, egregium in hoc malo exserunt
effectum. Quantum autem boni ab horum vsu
prudenti in morbis, ad anxietatem & alia pessima
symptomata tollenda, sperari possit, docuit s y d e n-
h a m i v s, qui intolerabilem in febre putrida va-
riolosa anxietatem nullo modo compesci posse ob-
seruauit, nisi anodynis, & quidem repetitis, si vr-
geret hoc symptoma, immo monuit, plurimos
hoc periisse morbo, quia his auxiliis destituti fue-
rint.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Pertractata anxietatis spasmodicae curatione, *Quo modo*
ad methodum medendi illius anxietatis speciei nunc *curatio an-*
progredimur, quam a *sanguinis spissitudine* oriri *xietatis sit*
demonstrauimus §. XI. In hac vero anxietatis cu- *instituenda,*
ratione eo potissimum est respiciendum, vt prius *si sanguinis*
indagetur, cuius indolis sit sanguinis spissitudo, *spissitudinu-*
an sit mucosa, frigida, an vero inflammatoria §. XI, *cosa, vel in-*
cum pro huius diuersitate diuersa quoque opus sit *flammatoria*
medendi ratione. Quodsi enim anxietas a spissi- *illam produ-*
tudine sanguinis mucosa, in quocunque haereat lo- *xerit.*
co, oritur, quae tardum humorum progressum
pro sua agnoscit causa, curatio ita est instituenda,
vt haec spissitudo tollatur, quae indicatio obtinetur
corporis motu legitime instituto, & resoluentium,
stimulantium & roborantium remediorum usu. Si
vero anxietas inflammatoriam sanguinis densitatem,
vel arteriae pulmonalis fines, vel vasa arteriosa in
superficie sita, vel venae portae extrema obsi-
dentem, pro sua agnoscit causa, curatio requirit,
vt illud inflammatorium viscidum soluatur & dilua-
tur, vasaque simul relaxentur, vt facilius trans-
mittere possint illud, quod iisdem impactum hae-
ret; omnium autem citissime curatio perficitur, si
vtrumque simul obtineri possit.

§. XXXVIII.

Anxietas, quae ab inflammatoria sanguinis *Quaenam*
E densi-

*remedia con-
ducant in
anxietate ab
inflammato-
ria sangui-
nis densitate
proueniente.*

densitate prouenit, summum secum fert discrimen, atque ideo in ea curanda efficacissima quaeuis simul & semel sunt adhibenda. Quam maxime autem tunc conducet, ut impetus, quo sanguis versus loca obstructa vrget, imminuatur, quia alias liquidissima tantum eius pars transprimitur, reliquum vero magis inspissatur & in maiores vasorum angustias pellitur, adeoque periculosum malum peius redditur. Larga hinc sanguinis missio prodest, nisi reliqua symptomata, ut extremorum frigus & pulsus debilis, iam doceant, parum sanguinis in corpore superesse. Deinde etiam quam maxime est curandum, ut diluens vehiculum sanguini admisceatur, & eius stagnatio remoueatur, in usum vocando decocta diluentia, gelatinosa, cum melle, fructibus horaeis maturis, additis temperatioribus aromatibus, ne a talium decoctorum usu corpus iam infirmum magis debilitetur; inprimis huc conducunt decocta ex herbis amaris lactescentibus, quibus summo cum fructu additur nitrum, cuius summa efficacia in inflammatorio viscido resoluen- do abunde iam nota est. Proinde quoque insimul relaxantia, emollientia & diluentia, sub fomento- rum, balneorum & epithematum forma cutis exter- nae venis bibulis applicantur, inprimis circa loca affecta, ut haec a venulis recepta omni modo ad locum perueniant affectum. Eandem praestant vtilitatem clysmata, ex similibus speciebus parata, & parua copia, sed frequentius, iniecta. Quod si enim

enim maior liquidi copia in rectum infundatur intestinum, breui orietur nifus ad aluum deponendam, atque id expelletur iterum, quod iniectum fuerat, cum tamen indicatio hic postulet, vt clysmata diu retenta a vasorum venosorum, in intestinorum cauiantium, osculis resorbeantur & sanguini misceantur. Optimam prae caeteris exserunt virtutem clysmata, si viscidum inflammatorium in venae portae angustis haeret, quia a venis intestinorum in venam portae se exonerantibus recepta, ad locum affectum vix mutata perueniunt. Si inflammatoria sanguinis densitas in pulmonibus haeret, simplex hordei decoctum, cum oxymelle, nitro, roob sambuci, ribesiorum & similibus, hic prae caeteris vtilitate se commendat, & si omnia applicata minime profuerint, breui mors sequetur, neque hic pretiosissima remedia, ex lapide Porcino, bezoar, &c. aliquid efficere valent, quamuis a multis eximiis laudibus exornentur. Vapor praeterea aquae calidae cum herbis emollientibus coctae, vel infusae, inspirando in pulmones attractus, summum in sanguinis spissitudine eos obsidente habet vsum, quoniam sic directe pulmoni applicatur, vasa obstructa laxantur & impactus vasorum angustis sanguis diluitur.

§. XXXIX.

Si anxietas oritur a ventriculo nimia ciborum *Quomodo*
E 2 vel

curanda an. vel flatuum copia distento, haec tollitur cibus ex
xietas, si a ventriculo per vomitorium, vel per purgans ex-
flatibus, vel pulsus; flatus vero, qui anxietatem producant, di-
cibus larga scutiuntur & expelluntur per remedia carminatiua
copia sumtis leniterque laxantia, simul tamen eo est respicien-
provenit. dum, annon aliud malum sit complicatum, ut hy-
pochondriacum, quo curato flatuum quoque
augmentum praecauetur.

T A N T V M.

